
ANNIVERSARIUS DUODECIMUS DIVO LEOPOLDO IMPERATORI CÆSARI AUGUSTO PATRIÆ PATRI GERMANICO PANNONICO BOJOHEMICO DACICO ILLYRICO GETICO

ET

QUOD NOMEN SUPRA OMNE HUMANUM NOMEN EST

AUSTRIACO INAUGURALIS VOTIVO NON IGNOTÆ PIETATIS CULTU CELEBRATUS.



JOHANN: XVIII.

NON HABEMUS REGEM NISI CÆSAREM.

HOMER.

ΕΙΣ ΚΟΙΡΑΝΟΣ ΕΣΤΩ ΕΙΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ.

SACRA CÆSAREA REGIAQUE MAJESTAS,



Ullum TE, LEOPOLDE CÆSAR, dignius, nullum tempori convenientius argumentum inveniri potuit, quam quod ultrò ſe offert. Inſtat, imò adſtat fauſtiſſima dies, quâ Anniverſarium Ele-

ctionis TUÆ, ſolenni & olim quoque ſub vetuſtis Principibus uſitatâ pietate, inter gaudia lætasque acclamationes celebramus, & Conditori DEO pro Vita TUA, pro ſalute Imperii, nova vota nuncupamus. Faveat Cœlum juſtis deſideriis! exaudiat caſtas fidelium preces Reip. cauſâ, cujus TU, DOMINE, potiſſima pars es, conceptas. Abſint improbæ ſpes, & captandæ mortis vota: utut altè, nimis tamen properè eorum animis infixa, qui habere Imperium, quàm expectare malunt. At bonum ſcilicet publicum prætendunt, qui proprium quærunt: in rem ſuam, imò peregrinam maligni procuratores. O nimis pellucidas fraudes, & inania arcana, vanosque dolos, qui tales eſſe deſinunt, niſi aſtu colantur! Specioſa iſta utilitatis communis, ſecuritatisque publicæ nomina jamdudum exoleverunt, neque amplius fidem faciunt civilis animi, & de alienâ magis, quàm propriâ cauſâ ſolliciti. Quæ nos ſcelera, illi remedia vocant: paci videlicet eo inſtrumento conſulturi, quo parta turbatur. Ignorant nimirùm, neque orbem duos ſoles, neque unam gentem duos ſimul Principes in ſummo gradu poſitos, ferre poſſe. At nempè orbitas TUA, DOMINE, eos movet, ut quod caſus abſtulit,

abſtulit, induſtria ſuppleat, & ut ſucceſſor, quem ſerò in Familia expectes, promptiùs è Rep. petatur, ac loco libertatis electio ſit, quæ, ut illi ajunt, optimum quemque invenit, ſi non ſanguinis, quemadmodum ipſi auctumant, ſed meriti ac virtutis ratio habeatur. Næ autem hi de alieno morbo laborant, ac de florentiſſimæ ætatis fœcunditate præproperè deſperant. Pudeat ineptiarum, & temeritatis ſuo ſemet indicio damnantis! An verò, unius morbi periculum, de futuris & incertis contingentibus anxios reddidit? Ita ſanè, ſi verbis potius quàm rebus habenda fides eſſet. Ignorant fortè, nullam ſummi Imperii communionem eſſe, neque dividi poſſe, quæ ſeparari nequeunt, ac unum eſſe Reip. corpus, & unius animo regendum. Hoc ſi neſciunt, aut neſcire ſe, quod verius eſt, fingunt, hâc ſaltem vice, autoribus omnis ævi ſapientibus, experientiâ magiſtrâ diſcant, malè regi Remp. plurium Imperiis, rem iudiviſibilem eſſe Majeſtatem, & Parelios non in terrâ minùs quàm in Cœlo inter Prodigia Naturæ, non opera haberi, infauſtisque omnibus accenſeri. Nunquid fruſtra vetuſtiſſimi vatis decantatiſſimum illud, & huic commentationi præſcriptum

— — — Εἷς Κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεύς; — — —

C. Jul. Cæſar, primus Imperii illius, quod nunc TUIS, AUGUSTE, humeris incumbit, fundator ſemper in ore habuit? Quod ſi enim, ut juris Romani conſecraneis notum eſt, materia communionis inter privatos etiam ſolet excitare diſcordias, ubi tamen vel de communi dividundo, vel de herciſcundâ familiâ, aut de finibus agrorum privatorum regendis duntaxat agitur: quanto magis

Nulla fides regni ſociis, omnisq́; poteſtas
Impatiens conſortis erit! — —

Quod ſi Aulicus favor ab ambulatoriâ Heri voluntate dependens rivalem non admittit: quantò difficilius eſt, eodem loci ſummam potentiam & concordiam eſſe? Si conſervi ad unius Domini lubitum, ac in horas & ſingula ſæpè momenta mutabiles nutus, modò felices, modò miſeri, in eodem gratiæ gradu ægrè ſine invidiâ, nec diu ſine alterutrius lapſu, ſe mutuò ferre queunt: quomodo id Con-Domini ſupremâ unius Imperii poteſtate ex æquo, & ſine ſuperiore, fruentes

pate-

paterentur? Delicatius aliquid eſt regnum, quàm ut conſortem; Majeſtas, quam ut coæqualem toleret. Neque ità, ut in Civitate Magiſtratus, ſic in Imperio Cæſares vel inter ſe æquantur, vel ſibi invicem ſurrogantur. Alia Civium in Rep. alia ſummorum in Regno Principum ratio eſt. Æqualitas Civitatum, inæqualitas regnorum munimentum eſt. In plurium ſtatu pares cum paribus concurrunt, &, ut proverbium eſt, facilè congregantur: at ubi unus imperitat, parem non agnoſcit, qui ſummus eſt, & ſecundum ac proximum, non niſi longo & diſtincto intervallo, non juxta, ſed ponè ſe recipit. Jam olim Romæ, non aliam ob cauſam,

Fraterno tincti maduerunt ſanguine muri.

Et inter prima ſeneſcentis jam Imperii incunabula propè everſus orbis eſt, dum de Principatu inter bonos certatum fuit; ac Pompeji Craſſique potentia in Cæſarem, Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum non ſine cæde & ſanguine ceſſêre. Neque aliter deinceps judicatum, quàm nec imperanti, nec imperio ſecuritatem, niſi extincto æmulatu, redituram. Æmulus autem eſt, quisquis eſt proximus, quisquis luce ſuâ, quamvis mutua-

mutuatitiâ, luminibus noſtris officit, & radiis noſtris ſuos interjicit. Non aliter Luna inter Cœleſtia infimum ac terræ proximum corpus, dum ad ſolem propiùs accedit, fulgoris ejus partem intercipit, ac Eclipſin inducit. Idem fit in his ſublunaribus, quæ in plurimis alta illa & ſuperna imitantur. Si per exempla ire lubet, & monita prudentum documentis rerum firmare placet; quando infelicius Romanum Imperium, quàm cùm in plures ſpargi Principes cæpiſſet? Quàm brevis Diocletiani & Maximiani, quàm infauſta inter Severum & Peſcennium, inter Conſtantinum M. & Licinium, inter Conſtantini liberos potentiæ ſocietas. Quando plura bella, ſæviora certamina, funeſtiores caſus, quàm cùm tot Auguſtorum, tot Imperatorum, tot Cæſarum ſubordinata, & novis ac olim incognitis interpretationibus detorta vocabula, Græcâ vanitate uſurpari cæpiſſent? Nec alia res Imperium Occidentis ad Francos, Orientis ad Turcas tranſtulit, quàm illa inter pares & eadem cupientes de ſummâ rerum contentio. Hinc aſſidua liberorum cum Parentibus, Fratrum cum Fratribus, Generorum cum Soceris, Propinquorum cum proximis diſſidia, clam per venena, ſicas, inſidias, pa-
lam

làm per bella & prælia grassantia. Quod malum viris & viribus præstantissima nudavit imperia, & Trapezuntem, Achajam, ipsamque Romæ æmulam Constantinopolim Barbarorum potentiæ ultrò in subsidium accitæ exposuit. Neque melior in occidente rerum facies: dum inclinatis Francorum rebus, Arnolphus Carolo Crasso adjunctus, & in partem curarum receptus, beneficii sui autorem omni potestate exuit, & ad modica alimenta à Proceribus Francorum emendicanda adegit. Paria fata Henricus IV in Rudolpho Sueviæ Duce, imò, quod exemplo perniciosius, in suomet Filio nimis præcociter in paterni fastigii consortium admisso, expertus est. Eodem casu augustissima veterum Sueviæ Principum domus concidit, impellentibus eam ac præcipitem agentibus præposteris evectionum ejusmodi consiliis. Nolo propiora memorare, quorum ut recentior memoria, ita gravior invidia est. Satis hæc pauca vice omnium adducta ostendunt, falli eos, & fallere, qui pravas aliorum spes cohiberi putant, si successor non in incerto sit. Benè hactenus cesserit, Friderico IV Maximilianum, Carolo V Ferdinandum, huic Maximilianum alterum, isti Rudolphum II, ac Ferdi-

nando II filium cognominem viventibus ſurrogatos: At ex eâdem domo, volentibus quorum intererat, ac ſuæ magnitudini & cooptatorum modeſtiæ confiſis, & ne ſic quidem absque invidiâ & calumnia aliorum, qui cum factionibus floruiſſent, potentiam fundatæ longo Imperio domûs ſuſpectabant, factum eſt. Nota ſunt, quæ Suinofurti ſuperiore, & in diverſis conventiculis noſtrâ ætate inita fuerunt conſilia, ne quis vivo Cæſare Rex crearetur. Quod ſi tunc, nondum adeò externis amicitiis illigatâ dicam an infectâ Germaniâ, vel fœderibus ſancitum, vel legibus cautum fuit, ne, niſi omnium Electorum conſenſu, ſuperſtiti ſummo Principi ſub Regis Romanorum titulo adderetur vel Collega muneris, vel hæras dignitatis, aut in uno faſtigio duo ſimul conſtituerentur: quantò formidoloſius, hâc noſtrâ ætate, iſtâ morum pravitate fuerit, non Fratri Fratrem, ut quondam Rudolpho II Matthiam (quanquam ne id quidem, niſi opportuna alterius mors litem tempeſtivè diremiſſet, periculo ac pernicie, ut monumenta publica, & arcani commentarii teſtantur, cariturum fuerat) ſed Auſtriaco Principi extraneum ſufficere, qui Cæſarei nominis per tot ſecula in hâc familiâ

cum

ſummâ laude conſervati claritudinem aliam in domum ferat, nunquam eò, unde ſemel diverterit, redituram? Non injuriâ ſuſpectus ſemper, inviſusque dominantibus eſt, quisquis proximus deſtinatur: & propterea à Parentibus Liberi, Fratres à Fratribus, Generi à Soceris non timentur modò, ſed, quantum fieri poteſt, cohibentur, ne quam Reip. partem ſibi vindicent. Unde lege etiam Regiâ Ferdinando III TUO, CÆSAR, Parenti, TUO itidem Fratri Ferdinando IV ſcriptâ, ſeriò proſpectum fuit, ne vivo Patre quicquam pro Imperio agerent. Quantò autem accuratiùs providendum eſt Patriæ ſtudioſis, ne in multò periculoſiores ſcopulos impingat Germania, ſi ſuperſtite integris viribus Auguſto, præcocibus in futuros morbos remediis vel præſumtis vel adhibitis, malum eminus imminens præpoſterâ curatione acceleraverit, ac in bellum Civile, quod prævenire ac declinare nititur, ultrò inciderit. Num, ſi diſplicent regnantibus civilia etiam filiorum ingenia; ſi Antiochus olim filium gravem ſenectæ ſuæ ſucceſſorem inſtare credidit; ſi Eliſabetha Britannica, Mariam Stuartam proximam & indubitatam Sceptri Anglici heredem, libertate, ac tandem vitâ, ob id ſolum

 deſti-

destituit, quod imminere eam sibi viventi ac inhiare successioni paulò avidiùs & ambitiosiùs, quàm par fuerat, existimaret, ac linteum sepulchrale ante oculos, ut loquebatur, suspensum quotidiè intueri nollet; si Henricus III Gallorum Rex Valesiæ stirpis postremus ægrè fecit, ut sibi vivo tumulum fodi, hoc est, se vivo ac vidente suam hæreditatem cerni, designato successore, pateretur: æquonè laturum animo LEOPOLDUM arbitramur, Sibi tot Majorum, tot propriis meritis; ac Dei hominumque consensu ad Imperium vocato, nullâ necessitate, nullo in tàm viridi ipsius Augustæque Conjugis ætate orbitatis periculo, sub Regis Romanorum nomine Successorem, tanquam Pro-Consuli è Provinciâ discessuro, dari? Cavete igitur, ô mei Germani, & ad fallaces ejusmodi fabulas obturate aures, obvertite terga, obfirmate animos!

— — — *illâ latet anguis in herbâ.*

Dulce canit fistula, dum volucrem auceps decipit. Qui Imperium evertere moliuntur, libertatem præferunt: ubi Imperium everterint, aut in se traxerint, libertatem ipsam aggredientur. Mite ac Tyrannidis expers Austriacorum Regi-

-men

men, ne hoſtes quidem ac æmuli inficiati ſunt: induſtriæ duntaxat innocentiæq; ejus, tanquam malis artibus, infenſi, & probitate manſuetiſſimæ Gentis, in occaſionem exercendæ per tot conjurationes & detecta jam facinora malitiæ, nequiter abuſi. Non ultrà diſſimulandum eſt diſcrimen, quod capiti TUO, DOMINE, quod Imperio, quod domui TUÆ ac Provinciis, quod privatis cujusque noſtrûm laribus ac penatibus impendet. Præteriit tempus, quo ſanare potius quàm exſecare debere vitioſas Reip. partes videri poteras. Confugiendum eſt ad fortiora remedia, & velut Medici nihil in corporibus ægris, quod nociturum eſt, relinquunt, ita & nos, quicquid obſtat Imperio, quicquid vel occultis cuniculis, vel vi apertâ Majeſtatem TUAM, & Tuorum pacem ſollicitat ac oppugnat, recidamus. Satis hucusque, (ignoſce PRINCEPS, & in liberâ Rep. liberam boni Civis vocem haud dedignare) lenitate ac mollibus conſiliis peccatum, neque quicquam tot annorum patientiâ profectum, quàm ut plura & graviora tanquam ex facili tolerantibus Germanis imponerent exteri, ac ſimplicitati gentis candidæ, & adverſum peregrinas præſtigias nondum ſatis cautæ, nefariè illuderent. Hâc

 quia

quia non ſucceſſit, aliâ incedendum viâ eſt, & Leonina tandem pellis adverſus Vulpiones iſtos induenda. Semel nôris, DOMINE, ſemper experieris, ſecundum TIBI quenquam conſtitui non poſſe, niſi ut TU primus ac ſummus, imò vivus, eſſe deſinas. Quot unius intra anni vertentis ambitum inſidias Corpori, Vitæ, Saluti TUÆ ſtructas & ſubiiſti hactenus, & feliciter, ipſo Numine velut è machina interveniente, ſuperâſti! An deſitura hæc diſcrimina, & quieturas Furiarum iras cenſes, ſi de herede Regni, certove ſucceſſore conſtiterit? Non ſunt ea, in quæ reſervati ſumus, tempora, quæ ambitioni modum ſtatuant, quæ improbis dominandi votis, quorum impetus cunctis affectibus flagrantior, quamvis in tenuem admiſſis tramitem, fræna injiciant, limites ponant, terminum figant: ſed in ſeculum, heu miſeri! incidimus, quo irriſui probitas, contumeliæ fides, proſperum ac felix ſcelus in quæſtu & laude eſt; apud eos maximè, qui ſolius Regni cauſâ jura violanda exiſtimant, ac omnia recta & honeſta negligunt, dum modò potentiam conſequantur, cui adipiſcendæ non vitam tantùm, ſed & animam immolant. Vetus atque inſita mortalibus regnandi cupido

cupido in hâc Romuli fece usque adeò adolevit, erupitque, ut ſemel in alveum recepta torrentis inſtar latiſſimè evagandi ſibi viam faciat, & nec metas, nec tempora nôrit; ac ut olim virtutis & modeſtiæ, ita nunc procacitatis & impotentiæ certamen ſit. Et quemadmodum primæ dominandi ſpes plerumque in arduo, ita ſemel ingreſſis adſunt ſtudia & miniſtri, qui occultis malignisque ſtimulis excitant quietos, impellunt dubios, & calcaria currentibus addunt, impatiensq; loci fortuna ſecundi nihil medium, nihil moderabile ſuadet. Ita inſtitutis, ita diſpoſitis animis, ad quodcunque ſcelus ab ejusmodi voto facilimè tranſitur, nec quisquam ſibi turpe putat, quod alteri fuit fructuoſum. Longè ferrea ætas noſtra ab aurei illius ævi niveâ ſimplicitate diſceſſit, ubi non fraude & occultis, ſed palàm & armatum hoſtem ſuum vel aggredi vel ulciſci, moris fuit, probroque arma habentibus vertebatur, licitari hoſtium capita. Nulli amplius Romani, Pyrrho quamvis hoſti parricidalem medici conatum detegentes; Nulli Vitellii, qui talibus pro ſperatis præmiis merita ſupplicia reddant, munimento in præſens, in poſterum ulcioni. Traditus ille vetuſtis Principibus mos, ut ultor ejusmodi facino-

ris

ris esset, quisquis successisset, cum cæteris antiquæ sapientiæ præceptis in codicem legum abrogatarum jam dudum relatus est, introducta in illius locum profanâ & gentilibus ignotâ consuetudine, alieno sanguine, quamvis Imperatorio & Regio, tanquam vili & plebejo prodigè utendi, nihilque pro obtinenda dominatione abnuendi. Nihil indigemus exemplis: Tuum TIBI, DOMINE, ante oculos colloca. Ad unius morbi Tui famam, quanta proditionum semina, quot insidiantium agmina, confestim ex imis Orci cavernis erupere? Quid ausuros credis, si de successore audierint? cujus vindictam adeò non metuent, ut honores & præmia pro egregio, si Diis placet, facinore expectaturi sint. Non enim, nisi TE, IMPERATOR, quod superi averruncent, sublato securum se potentiæ credet, quemcunque secundo abs TE gradu irata terris sidera constituerint: qui tunc demum se sine controversiâ, sine exceptione regnare existimabit, ubi, quicqiud luminibus ejus offecerat, removerit. Nemo autem magis officit, quàm qui major est, & cujus nomen supra id, quod primo proximum est, attollitur. Ita neque adversus, neque à tergo aut lateribus tutus eris, semperque

in

in aſſiduo periculo & metu, inter manus minasq; Vitæ TUÆ quotidianas inſidias parantium miſerum & inquietum traduces ævum, nec illos ipſos cuſtodes, quibus TE commiſeris, ſecurus aſpicies. Sic ubi ſemel invidiæ ceſſeris, ac unâ & quidem præcipuâ in re conſortem potentiæ, æmulum fortunæ admiſeris, actum de magnitudine TUA, DOMINE, & de ſalute noſtrâ erit, quam ne ipſa quidem ſalus ſervare poterit. Sed quid hîc conſilii? quid remedii? Res eò usque progreſſa equidem videtur, ut cavere magis, quàm quid contra ſtatuatur, conſultare oporteat. Quandoquidem autem non ſolis votis & ſuppliciis Deorum auxilia parantur, qui nunquam propter nos de Cœlo deſcendent, ſed plerumque

— alitur vitium, vivitq; tegendo,
dum medicas adhibere manus ad vulnera Paſtor
abnuit, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

Idcircò non ſolâ Imploratione ſuperûm, ſed vi ac virtute evadendum eſt. Haud neſcis, pro ceterâ prudentiâ TUA, AUGUSTE, contraria contrariis curari, & adverſum morbos, quibus lenior medicina impar fuit, cauteriis ac veſicatoriis utendum eſſe. Quibus bonitas TUA deſpe-

ctui fuit, hi suo malo discant, contumacia inferiorum mansuetudinem imperantium diminui. Inerme pacis studium, & dimissa militia animos prava conantibus subdidit, & perduelles ad exuendam fidem impulit. Arma para, copias undiquaque conscribe, omnem belli apparatum convehe: non castra sine legionibus, non munita loca sine præsidiis, non præsidia sine pecunia, sine commeatu, sine tormentis, omniqúe provisu ad ornamentum pacis & subsidium belli necessario sint. Inanis est misericordia, quæ sic alienæ saluti parcit, ut suam negligat. Nec Clementiæ famam quamvis utilem regnantibus inde captaveris, unde Capiti TUO exitium imminet. Imprimis autem erectum TE, DOMINE, ac fidentem animi, & quibuscunque fortuitis superiorem ostende: ut hinc spes subditis, fiducia sociis, veneratio æmulis, terror hostibus augeatur, nihil temerè ausuris, si TE fortem ac vigilem, & ad omnes casus intentum paratumq; audierint. Hactenus amorem duntaxat ipsa Imperii dulcedine meruisti: sed nunc amori præsentissimum munimentum adjunge TIMOREM, sine quo imbellis & fluxa res est amor subditorum erga imperantes. Fac in armis TUIS, ut solatium bonis, ita

ita malis ſupplicium ſit. Effice, ut intelligant omnes, TE fidem colentibus mitem, perfidis inexorabilem eſſe, neque cuiquam in eo genere criminis bis peccare licere, in quo ne ſemel quidem tutò delinquitur, tutò pœna remittitur. Ad famam TUAM hoc, imò ad gloriam erit: neque laceſſere audebunt fortunam TUAM, qui atrocibus factis pares pœnas, nullum veniæ locum viderint. Nemo de poteſtate TUA, ut malo temporum vitio increbuit, disputare, nemo de ſucceſſore TIBI ſurrogando, nemo de inſidiis valetudini TUÆ provinciarumque quieti ſtruendis cogitare ſuſtinebit, ſi TE domi cautum ac circumſpectum, foris ad Belli pariter ac Pacis tempora inſtructum noverint. Deſinet quicquid adverſum, evaneſcet quicquid ſuſpectum, diſſipabitur quicquid turbidum fuerit. Ipſos hoſtes inſaniæ ſuæ ſubibit pœnitentia, & plagis emendati ad bonam mentem revertentur, qui beneficiis placari non potuerunt. Libertatis ſuæ abuſu tumidi ſerò tandem agnoſcent, quantò præſtet moderatum unius Imperium effræni plurium licentiæ. Nec Germani alterius Principis nomen vel amare vel ambire, nec alterius ſigna ſequi, aut in peregrina verba jurare volent; domeſtico,

 cui

cui tàm diu assueverunt, Imperio contenti: præsertim, si, quod præcipuum omnium MAJESTATEM TUAM colentium votum ac suspirium est, diuturnam orbitatem TUAM feliciore ac repetito sæpius masculi heredis editu corrigi intellexerint, ne spes nostra quotannis nova in ventos semper & fumos abeat. Hanc ut impleas, & domum virili prole, familiam vitali germine fœcundes, ac posteros tantis Majoribus dignos, & olim haud minores futuros proferas, TUÆ salutis, nostræq; securitatis interest. Nunquam enim verè tutus eris, quàm diu orbus fueris. Semper aliquid æmulis sperandum, TUIS metuendum erit, donec viderint, multâ TE factum prole parentem, quæ, cum vi tot capita corripere intutum sit, moram prava molientibus afferat. Sed cùm id non humani consilii officium, sed cœlestis gratiæ beneficium ac donum sit, orandus est Naturæ Parens, qui & principio & fine caret, ipse tamen omnium principium ac finis; qui habitare facit, sterilem in domo matrem, filiorum lætantem, & potens est, è lapidibus suscitare semen, ut nunquam auferatur de Domo TUA, qui sedeat super Thronum Tuum: ut TE

Nato-

Natorum Natos, & qui naſcentur ab illis,

excipere, & in ſpem paternæ fortunæ ac gloriæ educare ſinat; ut juventus TUA ſicut Aquilæ renovetur in poſteris, ac usque ad conſummationem ſeculi

Semper honos, nomenq; TUUM, laudesq; perennent.

Ipſe etiam hæreat lateri TUO, & cuſtodiat pedem TUUM, ne capiaris. Ipſe confirmet Regnum TUUM, & corroboret ſolium in judicio & juſtitiâ, àmodo & usque in ſempiternum, ac dies ſuper dies TIBI adjiciat, annos TUOS usque in diem generationis & generationis augeat, ut permaneas in æternum in conſpectu ejus, neque unquam à cuſtodia TUI Tuorumque oculos amoveat, aut relinquat TE votis, quæ non palàm ſuſcipiuntur. Quoniam autem DEUS ac Natura nihil fruſtrà faciunt, & ſuperi bona ſua laboribus vendunt: TIBI quoque, DOMINE, providendum eſt, ut vota noſtra & preces cœlum penetrent, ac ne, nobis omnibus de ſalute TUA, id eſt noſtrâ, anxiis & ſollicitis, minima TUI cura TIBI ipſi ſit, quaſi TUI po-

tius,

tius, quàm noſtri juris fores. Ne privatis quidem corporis vitæque ſuæ dominium ac arbitrium Natura permiſit: quantò minus TIBI, AUGUSTE,

— — — Quo ſoſpite nobis
Iratos nondum credimus eſſe DEOS.

Si TUA parum refert, quàm diu vivas: at noſtra plurimùm intereſt, ut quàm diutiſſimè mortem TUAM differant Fata, & ut ſerus ac ſatur demum vitæ, ſatur gloriæ Cœlum, unde ortus es, repetas. Quis enim eſt tàm de ſuâ aut communi ſalute nihil cogitans, qui non intelligat, TUA ſalute contineri ſuam, & ex unius TUI vitâ Spiritum omnium pendere? Quare

Vitam TIBI uni ſi negas, cunctis negas;

&, cùm manifeſtis adeò periculis inerme ac indefenſum objicias corpus, oblviſceris TE tot ſubditorum animas, tot Provinciarum quietem trahere in caſum. Sublatis enim, quod ſuperi prohibeant, AUSTRIACIS, quid aliud quàm omnium inter ſe gentium bella exiſtent? Ac velut poſt Alexandri M. obitum, Ducum ejus in dividendis tantæ fortunæ reliquiis certamina totum Orien-

Orientem cæde ac ſanguine cruentârunt, ac tandem Romanis, quanquam toto Mari diſcretis, ut juvandis ſociis terrarum omnium potirentur, viam ac gradum ad occupandum univerſi orbis imperium fecerunt: ita, quid aliud TE ſine liberis ac certo, ſed è gente TUA, regni hærede, rebus humanis exemto, expectandum erit, quàm bella & cædes, ac ut clades clade, ſanguis ſanguine, barbarorum ritu, expietur? Profectò,

Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit.

Et, quamvis propitia hactenus Numina ſacrilegas parricidarum manus à Capite TUO averterint, quamvis ortas adverſum TE, & conglomeratas undiqueque Conjurationum nubes, priùsquam in horridas tempeſtates ſævosque turbines erumperent, opportunè diſcuſſerint, & armatis cœleſtium geniorum cohortibus latus lectùmque TUUM cinxerint: nôris tamen, DOMINE, DEOS vigilantibus adeſſe, quibus & jura, legesque favent. Cæteroquin

— — — *Nemo ſe tutò diu*
Periculis offerre tàm crebris poteſt.

Imò nemò facilius opprimitur, quàm qui nihil timet.

met. Quod olim Julio Cæſari evenit, qui dum mori quàm timeri mavult, & clementiam, quam præſtitit, expectat, incautus ab ingratis occupatus eſt; Quod tot poſt illum Principibus contigit, quibus de Conjuratione comperta non creditum eſt, niſi occiſis: Hoc ne TIBI, CÆSAR, accidat, nulli magis quàm TIBI cavere incumbit. Qui pro omnibus excubas, pro TE potiſſimum vigila, cujus vita & fortuna ſortes & fata noſtra dirigit. Quidnî autem facias? quidnî

— — animosq́; gerens, curasq́; viriles,

imperatorio Spiritu utaris in eos, qui lenitatem TUAM aſpernati, ſeveritatem experiri maluerunt? Supereſt ergò, ut collata TIBI cœlitus beneficia pari felicitate dicam an ſapientiâ tueâris, partâque victoriâ non frui tantùm, ſed, quod longè præſtantius eſt, uti velis. Fruſtrà ſic cæpiſti, ſi hic deſinis. Ut canis ad vomitum, ita domiti ad impetum redire poterunt, niſi antidota ſemper ad manum ſint. Quæ autem fortiora? quæ præſentiora? quàm arma & paratus, ac ſemper ſub ſignis & in caſtris exercitus? Nec de ſumtibus dubita. Tot regionum à Solis Ortu ad Occa-

Occaſum, ab Auſtro ad Aquilonem Domino, deeſſe miles, deeſſe ad alendum militem neceſſaria non poſſunt. Velis modò, DOMINE, TE ipſum noſſe, & tantum audere, quantum vales. Sed ærarii militaris ratio habenda eſt, ſine quo diſciplinam ſervare non poteſt jejunus exercitus. Neque crede has impenſas aut Fiſco TUO graves, aut pro tempore inutiles, aut Provinciis intolerabiles fore Nullibi rectiùs, quàm in legendis ac ſuſtentandis copiis, pecunia collocatur: quam in loco negligere, in lucro ponunt callidi temporum & periti rerum æſtimatores. Inutiles autem nemo dixerit ſumtûs, qui tuendæ Reip. causâ fiunt. Neque quisquam abnuit dè ſuo conferre, unde univerſo ſubveniatur: Resp. enim ſalva, privatas res facilè ſalvas præſtat. Publica negligendo ſua nemo ſervat, & multis ſerò innotuere

Ingreſſa in thalamos publica damna ſuos.

Victi equidem hoſtes, proſtrati rebelles, comprehenſa conjurationis capita ſunt. Terror longè latèque inter eos ſparſus, qui antehac vellicari TE, CÆSAR, non modò ſine metu pœnæ, ſed etiam cum ſpe præmii, & opimioris, quo-

D tios

ties paciſci, ac redire TECUM in gratiam vellent, conditionis poſſe ſibi perſuaſerant. Hæc egregia Fortunæ munera fruſtrà habes, niſi iisdem artibus ſervas, quibus initiò parta ſunt. Armis nimirùm, & perpetuo milite, unde omne magnis Imperiis robur, & ſine quibus quamvis præclara conſilia invalida ſunt. Semel hoc habe, ſemper tene, UNAM IN ARMIS SALUTEM, neque ullam Civitatem, quamvis exiguam, ſine hoc præſidio vel ad momentum tutam eſſe. Quantò minus ampliſſima regna absque militari vallo ſubſiſtere poterunt, aut magnam & jugi impatientem multitudinem, aliter quàm vi metuque, in officio contineas. Quis enim ſponſor idoneus aut fidejuſſor erit, non reſumturos arma, ſi TU poſueris, ſi facultatem adverſum TE denuò inſurgendi rurſum ſibi oblatam viderint? At tunc iterum novos ages delectus, nova conquires auxilia. Bonum factum! modò ea ſemper in promtu ſint, aut nefaria ſceleratorum audacia (cujus fulmen ſemper cum ictu venit, nec prodit ſe, niſi dùm perdit) tantum temporis ac ſpatii TIBI concedat, ut commodo TUO improbis molitionibus occurrere poſſis. Longè præſentius & efficacius bonis perfugium,

fugium, malis remedium, in continuo & ſub certis ſtipendiis merente milite eſt, qui non demum, cùm Hannibal ante portas eſt, è longinquo accerſendus, ac diu & cum magnâ rerum gerendarum remorâ expectandus eſt, ſed ad ſubita caſuum & bellorum uno edicto convocatur, & advolat. In hunc finem Romanæ quondam legiones limitem Imperii, prætorianæ cohortes corpus Imperatoris ſui, tutatæ ſunt. Id hodieque firmiſſimum Turcicæ potentiæ robur, imò fundamentum eſt, cui vaſta barbaræ dominationis ſuperbia innititur. Imitare, AUGUSTE, vicinæ & meritò TIBI ſuſpectæ gentis inſtitutum, &, ut aliquando ſine bello, ita nunquam ſine armis eſto. Habes præ foribus hoſtem, cujus lunulas penè è Regiâ TUA conſpicere potes. Habes domi inſidiatores, qui omnes greſſus TUOS, & cuncta, quibus nocere vitæ aut Fortunæ TUÆ poſſint, momenta obſervant, & quamvis non adeò opibus valeant, neſcio, quem tamen caſum aut tempus opperiuntur. Habes in Provinciis, quæ non eodem, quo ſubiguntur, impetu domantur, altè in multorum pectoribus hærentia atræ loliginis ſemina, ſtatim eruptura, ut primum licuerit. Quò attentior fueris, hoc illis animus

mus infirmior erit. Si paululùm modò TE remisſiorem obſervaverint, illicò omnes feroces aderunt. Venia primo ſceleri data, irritamentum ſecundi vel audendi vel perpetrandi erit: nec emendationi locum relinquet ipſa criminis atrocitas, nunquam bis ſine Principis aut percuſſoris exitio tentata. Habes ex omni viciniæ TUÆ latere gentes ambitione æmulas, odiis incenſas, invidiæ plenas, moribus barbaras, ſitu contiguas, impetu validas, armis inſtructas, felicitate turgidas: adverſum quas potentiam TUAM, non niſi armis & aſſiduo belli, quanquam ſumtuoſo, paratu tuearis, cujus impenſæ utilitate publicâ penſantur. Hæc una res TE ſecurum, nos tutos præſtare poteſt. Hæc ſola efficiet, ut nec ſucceſſorem timendum habeas, nec percuſſorem. Hæc TE venerabilem Tuis, formidabilem hoſtibus reddet. Hæc cruentos famoſosq; libellos, de Poteſtate Principis, prohibitâ legibus petulantiâ diſceptantes, armis confodet, ac ſuppliciis cohibebit. Hæc ſubditos in obſequio, Provincias in fide, Imperium in pace continebit, & ſecuritatem domi, autoritatem foris parabit. Quicquid inermem hactenus contemtui, odiis, periculis objecit, ultrò ceſſabit. Revertentur ad Stygias

paludes

paludes immiſſæ provinciis TUIS Furiæ, ac infamiam ſuam infernalibus latebris occultabunt. Succedent earum in vicem ac regnum in Aulâ obtinebunt, triumphalis honos, certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus; & inter arma quietus tranquillusque, videbis miſericordiam & veritatem ſibi mutuò obviantes, lætaberis in reciproco pacis & juſtitiæ amplexu, aſpicies Filios Filiorum Tuorum, & bona ſummæ Fortunæ omnibus diebus Vitæ TUÆ. Nec amplius TE longâ ambage morabor, niſi, ut quemadmodum à voto cœpi, ſic in voto deſinam, quod pro TUA, id eſt, generis humani, nationis Germanicæ, Gentis Auſtriacæ incolumitate denuò conceptis verbis nuncupo: ut nimirum ſupremus iſte Regnorum conditor, Regum conſervator, rerum Arbiter, TE inter Tuos, Tuos TECUM & per TE ſalvos, invictos, ac nullis fortunæ caſibus ſuperabiles præſtet, & tantum nobis Principem, quo meliorem mitioremq; nulla ætas tulit, quàm diutiſſimè vivere, quàm feliciſſimè regnare, quàm ſæpiſſimè vincere velit, jubeatque; ne ulla unquam tàm infauſta neceſſitas Germaniæ rebus ingruat, ut de ſucceſſore extra domum TUAM quærendo vel invitis iis,

quibus has partes mos ac jus Patriæ delegârunt, deliberandum ſit. Duret ſemper, maneatque victurum in ſecula nomen AUSTRIACUM, quo non aliud ſublimius inter mortales, nullum DEO propiùs, cariusque extat. Augeatur cum Imperii vitæque annis triumphorum TUORUM numerus, & virtutis fama, & amor Civium. Terror in hoſtes, metus inter rebelles longè latèque diffuſus, auferat illis nocendi, his inſurgendi licentiam & fiduciam. Gloria TUA toti orbi conſpicua, potentia formidabilis fiat, neque quisquam poſthac vel contemnere orbitatem TUAM, vel captare hæreditatem, vel inhiare ſucceſſioni audeat. Videat poſtera ætas æmulam avitæ laudis ſtirpem in majorum veſtigia ituram, & ſecutura fœcunditas tot funerum damna cum fænore rependat, ac AUGUSTUM MAJESTATIS TUÆ THORUM annuo cenſu, eoque vitali & maſculo dotet. Ita remoto, quo nunc ſuſpenſi ſollicitique attinemur, timore ac metu, Anniverſaria Imperii TUI ſolennia feſtis acclamationibus, fauſtis apprecationibus læti ac hilares celebrabimus, boniſque omnibus proſequemur magnum illum diem, qui TE Germaniæ, ingens longumque ejus bonum, præfecit. Quod mecum

ex

ex voto animique ſententiâ augurantur, quos pietas in Deum, obſequium erga TE, fides in Patriam, boni civis, obedientis ſubditi, religioſi cultoris officia docuit. DOMINUS TECUM, AUGUSTE, & cum Spiritu TUO! Is curam ſalutis, cuſtodiam corporis, patrocinium Fortunæ TUÆ ſuſcipiat, quia TU omnium habes, qui juſſa TUA venerantur, Sceptra adorant, gloriæ famulantur, & uno REGE unâq; LEGE contenti, nullum REGEM niſi CÆSAREM, neque hunc alium quàm Auſtriacum nôrunt, cupiunt, exoptant, & qui notis olim formulis, & è veteri memoriâ repetitis quotidiè exclamant: *LEOPOLDE* CÆSAR, JUSTE, INCLYTE, INVICTE, SUPERI TE SERVENT! CONSERVATOR PACIS, TUTOR IMPERII, DOMITOR REBELLIUM, DEUS TE CUSTODIAT! PRINCEPS PIE, PRINCEPS BENEFICE, NUMINA TE TUEANTUR! VINDEX TUORUM, VICTOR HOSTIUM AC TRIUMPHATOR, SPES ET FIDUCIA SALUTIS PUBLICÆ; VIVAS! VALEAS! VINCAS! TUUM IMPERIUM NULLA VIS LÆDAT!

SI

SI QUIS VITÆ TUÆ, SI QUIS FORTUNÆ, SI QUIS INCOLUMITATI TUÆ, SI QUIS TRANQUILLITATI NOSTRÆ INSIDIAS TENDIT, ADVERSA MOLITUR, LUAT QUOD MERUIT! HOSTIS REIP. PARRICIDA IMPERII, CARNIFEX INSONTIUM UNCO TRAHATUR! LATRO PUBLICUS, PRODITOR PATRIÆ MAJESTATIS POENA PLECTATUR! TURBATOR QUIETIS, OPPROBRIUM SECULI ÆTERNA INFAMIA NOTETUR! *LEOPOLDO* CÆSARI VITAM LONGÆVAM, DIUTURNUM IMPERIUM, VALETUDINEM INCONCUSSAM, INTEGRAS VIRES, FORTIA ET FELICIA ARMA, PROCERES FIDOS, CONSILIARIOS PROBOS, DOMUM TUTAM, MASCULAM PROGENIEM, FAMILIAM FLORENTEM, POSTERITATEM NON INTERMORITURAM ROGAMUS! UT SALVI SIMUS, DEUS OPT. MAX. SERVA NOBIS *LEOPOLDUM!* HOC SALVO, SALVI ET SECURI SUMUS.

AUGU-

AUGUSTE IMPERATOR, SUPERI TE NOBIS PRÆSTENT! ILLI TE DEDERUNT, ILLI SERVENT! QUI TE A MANIBUS IMPURORUM ERIPUERUNT COELITES, ILLI TE PERPETUENT, SOBOLEM TUAM AUGEANT, GLORIAM MULTIPLICENT! TU PATER PATRIÆ, TU VERE PRINCEPS, IN TE OMNIA, PER TE OMNIA HABEMUS. FELICES NOS IMPERIO TUO, FELICEM GERMANIAM, HOC CÆSARE! SIMILEM NON ALIUM SEMPER OPTAVIMUS, NEC EXEMPLUM ALIIS, VEL TIBI ALIUD, QUAM TUUM.

— — — Εἷς Κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεὺς — — —

SPECIMEN MAGNI PRINCIPIS, OPTIMI EXEMPLAR, SUPERI TE PROTEGANT! NUMEN IMMORTALE, *LEOPOLDO* VITAM ET VICTORIAM! TE HINC ISTER, INDE RHENUS LAUREATUM ASPICIAT! GLORIAM TUAM, FORTITU-

DINEM, NUTUS FINITIMÆ GENTES A MARI USQUE AD MARE ADORENT! NON ABNUANT A *LEOPOLDO* VINCI, NON REGI. QUICQUID OPTAVERIS, DEUS VOTA PRÆVENIAT! QUI SIC TE AMAT, QUEMADMODUM TU NOS, IN QUOS PATERNO, NON HERILI ANIMO UTERIS. MAGNE PRINCEPS, ET COELESTIBUS PROXIME, TUOS SOMNOS HORUM EXCUBIÆ MUNIANT, TUOS GRESSUS CUSTODIANT, MENSÆ BENEDICANT, CONSILIIS PRÆSINT, AUSPICIIS FAVEANT! EXAUDIAT MISERICORDIARUM PATER PRECES NOSTRAS, QUAS NON FIDEI SOLIUS NECESSITAS, SED MERITI VERITAS, ET TOTIUS PATRIÆ UTILITAS EXPRESSIT! IN TE SALUS, DOMINE, IN TE VITA, UT VIVERE DELECTET! REGNES! IMPERES! PERENNES! FELICITATEM, PALMAS, TRIUMPHOS, PROPITIA TIBI FATA ADJICIANT! PACEM TUAM

NEMO